



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. Nomen Scotiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 5. *Politia Valliæ.*

IN ea partem insulæ compacti sese tutati sunt fortiter Britanni, & plerumque Anglos malè mulctarunt: adeò vt Offa Rex Merciorum eos à suis finibus prohibere coactus fuerit Vallo, cuius vestigia etiamnum videntur, & dicuntur vulgò *Claud-Offa*, hoc est *Fossâ Offæ*.

Remansere ergo Valli sui iuris sub Regibus suis, atque Principibus vsque ad Henricum III. Angliæ Regem, cuius filius Eduardus primus *Valliæ Princeps* nominatus est. Eius enim auspiciis bellum Vallicum profligatum est, cæso Vallorum Principe Leolino, & hæc Regio Angliæ contributa; ita tamen vt seruaret leges suas, quæ demum regnante Elizabetha abrogatæ sunt, & earum loco Angliæ subrogatæ, ita postulante Pananglio, cùm iam sub Henrico VIII. Monumethensis Comitatus à Vallia reuulsus esset, & Anglicis ditionibus annumeratus.

§. 6. *Lingua Vallorum.*

LINGVA antiqua Britannica, in tres dissipata regiones Valliam, Cumbriam, Cornubiam, in duabus postremis ægrè constitit, in Vallia perdurat, & consistet nisi per Anglos steterit qui eam exterminare moliuntur.

## CAPVT III.

*Scotia.*

DE hoc Regno sex quoque consideranda offeruntur; Nomen, Quantitas, Qualitas, Lingua, Mores, Politia.

§. 1. *Nomen Scotia.*

NGANTVR qui hoc nomen deducunt à filiâ Pharaonis, aut à Græco Σκότος quod ex furto concepti sint, aut voce Saxonica *Scot* quæ aceruum sonat, quod ex multis populis concreti sint. Nam ita dicti sunt à voce *Scutten* quæ *Scytham* significat, quia mo-

ribus & origine Scythæ erant. Vnde in versione Anglicâ Orofij per Regem Afredum, semper pro Scotis legitur *Scythan*, quoniam voces illæ omonymæ. Dicta est item *Alban* & *Albain*, non ab Albano illo filio Bruti fabulosi, sed quasi *Allabany* voce antiquâ Scoticâ, hoc est, altera Hibernia, ob rationem infra proponendam, cap. 4 §. 1.

### §. 2. *Quantitas Scotia.*

*Latitudo* eius desumitur ab vrbe Leucopibia *Vwithern*, ad Promontorium Orcada *Torfuti*, ac proinde excurrit ad 220. M. P. hoc est ferè centum Leucas Scoticas.

*Longitudo* autem, seclusis insulis, ducitur ex Promontorio *Bucquay-ness* ad *Ardemouthe-Head*; quæ distantia ad maiorem circum reuocata dat 200. P. M. seu circiter 90. Leucas Scoticas.

De *Circuitu* nihil statui potest, ob creberrima æstuaria.

### §. 3. *Qualitas Scotia.*

REGIO tota frigidior, frigus tamen vaporibus existentibus ab æstuariis, atque paludibus infringitur. Hic nascitur nobile hordeum ex quo ceruisia coquitur paris cum vino acrimoniæ. Lupi hic ferocissimi, & nisi obstarent generosi canes tota regio periclitaretur. Cervos innumeros alit, quorum audio in vnâ venatione publicâ nobilium 1000. vel 1500. iugulari. In syluâ Caledoniâ Boues Syluestres candidi, leonum instar, iubati; sed omninò iam pauci, ob crebras nobilium venationes. Habent hoc singulare quod nunquam attingunt herbam quam homo tractarit, aut calcauerit.

Dat hæc Regio ferrum, plumbum, sulphur, argentum, lazurum, lanam exquisitissimam: imò etiam electrum, seu succinum in grandioribus massis ad partem Orientalem collectum.

### §. 4. *Lingua Scotorum.*

Hic duplex lingua, *alia* eorum qui degunt in cultioribus locis, hæcque dialectus Saxonica est de quâ diximus in Anglia: *altera* est Scotorum syluestrium qui degunt in montibus, hæcque Hi-